

4
4
4
4
4
50
51
52
53
54
55
56
57

Vd. 17.
3.



DISSERTATIO IURIS PABLICE

IN REBUS A MINISTRI
FACULTATIS
COM-OB-IGANTIA

IN REBUS A MINISTRI
FACULTATIS
COM-OB-IGANTIA

IN REBUS A MINISTRI
FACULTATIS
COM-OB-IGANTIA

CVM INDICE REVM P. ABROGATA





I. N. D. N. I. G.

CAPVT I.
CONTINENS
SIGNIFICATIONEM VER-
BORVM: DE NEGLIGENTIA MINI-
STRI PRINCEPEM NON OB-
LIGANTE.

§. I.



Cum propositum nobis sit tradere, qua-
ratione Princeps ex negligentia Mini-
stri hic haud obligetur, antequam
ipsam tractationem suscipiamus, mo-
re in academiis recepto, singula hujus thematis ver-
ba paulo penitius consideranda duximus. Defini-
tur autem *Obligatio* in arte Juris Romani, quod sit
juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicu-
jus rei solvendae. *Princ. Inst. de Obl. L. 3. ff. de Obl. &
Act.* Dicitur *juris vinculum*, quia per obligatio-
nem velut frenum aliquod morale nostrae agendi
libertati injicitur, ut in diversam, quam quo illa
ducit, partem tendere non possimus. *Pufend. de F.
N. & G. L. 1. c. 6. §. 5.* A 2 §. II.

§. II. Per *Necessitatis* autem vocabulum, secus ac putat Hobbesius in *Leviath. c. 20.* non tantum intelligitur coactio aliqua externa & physica, quippe quam etiam latro nobis inferre potest; sed coactio moralis, hoc est, à legitimo imperio proficiscens, quæ ipsa tamen externis quoque viribus adeo intelligitur instructa, ut debito malo mulctare queat contranitentes. Ex dictis autem, quod obiter heic notandum, deducitur, firmo veritatis talo niti illorum sententiam, qui docent, omnem vim obligandi, etiam quæ ex conventionem nascitur, proprie non nisi à superiore oriri posse. Vultej. in *Jurispr. Rom. L. 1. c. 26.* Huber. de *jure civitat. l. 1. sect. 1. c. 2. §. 18.* Ultima verba nostræ definitionis non sine latitudine quadam sunt intelligenda, ita quidem, ut vocabulum *rei* simul quoque comprehendat facta, auctoritate *L. 1. ff. de O. & A. l. 1. ff. de Rebus creditis.* Solvendi denique verbum ab ipso Paulo Jcto explicatur in *L. 3. princip. ff. de O. & A.* Obligationum, inquit, substantia in eo consistit, ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid vel faciendum, vel præstandum: quæ singula verba, quid in disciplina juris Romani significent, præclare docet Huberus in *prælect. ad Instit. Tit. de Oblig. n. 2.*

§. III.

§. III. Divisio obligationis summa est, quando dispescitur in naturalem civilem & mixtam. *vid. L. 8. §. 3. ff. de fidejuss. L. 18. de Scto Maced.* Naturalis obligatio est vinculum juris naturalis, quo citra civilis juris auctoritatem ad aliquid præstandum adstringimur. *L. 95. §. 4. ff. de solut.* Est hæc vel *imperfecta* seu minus plena, cum obligatio quidem aliqua est in nobis; sed tertio inde nullum jus exigendi competit: qualis est obligatio ad eleemosynas pauperibus dandas: vel *perfecta* sive plena, quando quis ex naturali obligatione ad aliquid præstandum ita adstringitur, ut tertio etiam naturali jure ad id exigendum actio competat; civilis autem juris assistentia vel ita destituitur naturalis ejusmodi obligatio, ut æstimatione civili vel plane enervetur & pro nulla habeatur, qualis est obligatio mulieris fidejubentis. *L. 2. §. tot. Tit. ad Sctum Vellej. fili. familias mutuuum lumentis. L. 1. juncta L. 10. ff. de Scto Maced.* vel ut saltem petendi exigendique vim ei negaverit civitatis Rector, alios tamen non spernendos effectus eidem tribuerit, puta exceptionem. *L. 7. princip. ff. de Pact. compensationem. L. 6. ff. de Compensat. &c.* quale exemplum occurrit in pacto nudo *L. 15. ff. de præscript. verb. juncta L. 7. in princip. §. 4. ff. de Pa-*
tis.

his. Quæ ultima tamen Juris Romani subtilitas in foris Germaniæ nostræ usu destituta est.

§. IV. Civilis obligatio est, qua quis absque ratione juris naturalis, ex sola legis civilis rigoroſa auctoritate, ad aliquid præſtandum adſtringitur; ita tamen, ut exceptione perpetua, quam æquitas ſuggerit, agentem repellere poſſit: quale exemplum eſt in obligatione vi metuque contracta. v. §. 1. & ſeqq. *Inſtit. de except.* Quam exiguus autem ſit uſus harum obligationum mere civilium, ſuo jam tempore docuerunt JCTi, Ulpian. *L. 13. de Reg. Jur.* Marcell. *L. 66.* & Paulus *L. 112. eod.*

§. V. Conſequens eſt, ut breviter quoque exponam, quænam ſit obligatio civilis & naturalis ſimul, quam alias mixtam vocari moris eſt; nimirum ubi quis civilis pariter ac naturalis rationis vinculo concurrente ad dandum aliquid vel faciendum valide adſtringitur; *L. 8. §. 3. ff. de fidejuſſ. L. 18. ff. de Scto Macedon.* & hæc ipſa etiã eſt, de qua in præſenti nos loquimur, quamque Imperator definit *princ. Inſtit. de Oblig.* quamvis, ſi, ut quidem nos fecimus, ultima definitionis verba, quæ ſunt: *ſecundum noſtra civitatis jura*: relecare velis, illa haud inconcinne de obligatione univerſa queat concipi.

§. VI:

§. VI. Subdividitur illa obligatio mixta
 (1) quod sit vel vere talis, e. g. in mutuo & cæteris
 contractibus; vel præsumtive tantum, in quo sta-
 bilita præsumtio est, quod, licet origine sua mere
 civilis esse videatur; naturalis tamen ratio eidem
 semper subesse intelligatur. Talis est obligatio li-
 terarum, jurisjurandi voluntarii, rei judicatae, &c.
 conf. Huber. *in prælect. ad Instit. Tit. de Oblig. n. 3.*
 (2) Subdividitur in civilem strictè sic dictam & in
 prætoriam. §. 1. *Instit. de Oblig.* illa ex legibus civili-
 bus oritur; hæc edictis Prætorum originem debet;
 ut ut non negem, quod hæc differentia parum aut
 fere nihil effectus ponat. Huber. *c. l.* (3) Subdi-
 visio est in obligationem dandi, & faciendi, cujus
 de usu vid. Lauterb. *Compend. Jur. Tit. de Pact. pag.*
50. (4) Subdivisio est, quod alia obligatio sit im-
 mediata, quæ sine ullo hominis facto ex sola lege
 descendit, e. g. obligatio ad exhibendam rem, de
 qua *tot. tit. ff. ad exhib.* obligatio patris ad præ-
 standam liberis dotem ac alimenta. *vid. L. 2. ff. de*
Rebus cred. Alia mediata, quæ mediante alicu-
 jus hominis facto inducitur; quale factum vel li-
 citum est, ut pollicitatio & conventio, vel illicitum,
 ut delictum. (5) Subdivisio est, quod alia
 obligatio sit realis, alia personalis, de cujus in praxi
 usu iterum vid. Lauterb. *c. l. p. 44.*

§. VII.

§. VII. Haec de Obligatione. *Principis* vocabulum, quod in indice habetur, non accipio in sensu juris Romani, ubi plerumque per Principem solus imperator indigitatur, e. g. in *L. 1. princ. §. 1. ff. de Const. Princip. L. 31. ff. de legibus*. licet postea etiam Caesarum indulgentia primi officiales emeriti, rebusque feliciter gestis conspicui, Principum nomine quandoque insigniti fuerint. *L. 1. act. tot. Tit. de Princip. agent. in rebus*. Sed significatus, quem heic facimus, is est, qui in disciplina Juris Publici universalis occurrit, ita, ut per Principem intelligatur quaelibet in civitate summa potestas, quacunque etiam illa distingvatur forma, Monarchica, Aristocratica, Democratica vel mixta, si quidem haec formae nomen mereri potest. Quemadmodum enim non nisi Rector civilis societatis ministros officialesque constituendi jus habet, quia omnis imperandi judicandique potestas originarie non nisi penes ipsum residet: ita palam est, nostram, de qua disputamus, obligationem ad nudos magistratus referri haud posse. Vid. *Ziegler. de Jurib. Majest. L. 1. c. 29. Huber. de jure Civit. L. 1. sect. 3. c. 5. n. 69.*

§. VIII. Jam sicut magno Germanicæ rei emolumento hodie multum tenebrarum, quibus olim

olim juris publici nostri disciplina premebatur, dispulsum feliciter est: ita nunc illa etiam veritas luce velut propria radiat, quod ordines imperii nostri Romano-Germanici pro magistratibus haberi non possint, quodque turpissime fallantur, qui ex Codice Justiniano atque extremis ejusdem libris jura Germaniæ procerum æstimare, nostrosque regionis Dominos cum illis provinciarum præsidibus comparare non erubuerunt. Quibus ita comparatis facile est intellectu, ad Status Germaniæ quoque nostrum sermonem directum esse. Quantumvis enim hi Majestatem vere & proprie talem non habeant; superioritati tamen, ut vocant, territoriali ejusmodi vis inest, ut tantum non omnia jura regalia & majestatica, atque simul etiam officiales publicos constituendi jus reapse in se complectatur. Quam in rem illustria sunt scripta Lynckeri & Hertii, *de Superioritate territoriali*.

§. IX. Cæterum Principis nomen generale est, & præcipue Germania nostra varios ordines in se complectitur, quos ex Juris Publici disciplina justo catalogo heic facile recitare possem, ni metas instituti supergredi videretur tractatio. Porius est, ut pietatis pariter ac subjectissimi cultus ratione habita, illud non sileam, quod serenissimæ Domui

B

Anhal-

Anhaltinæ Principalis honor & titulus vere in eminentiori atque excellentiori significato, ac non sine prerogativa quadam competat. Quemadmodum enim illa nulli familiæ in nostro principum ambitu generis antiquitate & rerum gestarum gloria secunda est: ita inter illas sacri Romani Imperii ordines, qui principali titulo speciatim insigniuntur, celsissimos Ascanienses primum omnium locum tenere extra controversiam positum est apud eos, qui juris publici nostri prudentiam, illam vere nobilem disciplinam, scriptis suis illustraverunt. vid. Pufendorffius sub persona Monzambani *de statu Imper. c. 3. §. 1.* Dn. Coccej. *in Fur. Publ. prudentia c. 15. sect. 2. §. 27.* & præ cæteris Rudolfus Gothofretus Knichenius, & ipse quondam Consiliarius Anhaltinus, *in opere Politico L. 2. Parte 3. sect. 2. c. 2. ib. 12.* qui plura habet singularia.

§. X. Per negligentiam in rubrica nihil aliud intelligitur, quam vitium hominis negotia sua citra propositum malevolum, non eâ fide ac industria peragentis ut fieri poterat ac debebat. Apparet autem exinde, duo quam maxime esse, quæ negligentiam, vitium illud naturale, ut vocatur in jure, arguunt: alterum, ut ab animi destinatione & proæressi illa sit aliena; alterum vero ut debita diligentia



gentia & cura adhibita, rectius tractari poterint negotia. Quæ ubi aliter fuerint comparata, dolo vel culpa factum esse dicitur, quod minus prospere cesserit negotium. Positis autem illis requisitis, tum demum Negligentia vere & proprie talis adesse intelligitur, quæ à JCtis nostris frequentius culpa vocari solet.

§. XI. Dividitur Negligentia in magnam, mediam & minimam. *Magna negligentia, quæ alias quoque culpa lata vocari solet, est omisio ejus industrie & diligentie, quam communiter omnes homines rebus suis adhibere solent. L. 223. de Verb. S. Exemplum ejus est, si quis ramo in publ. dejecto aliquem interfecit. L. 7. ff. de sicariis, L. 31. ad L. Aquil. nemo enim nescit, per publicum plures transire. Media negligentia, quæ JCtis levis culpa audit, est omisio ejus diligentie, qualem diligentes patresfamilias & homines frugi in suis rebus præstant. L. 14. de Pignor. ad L. 10. de administ. tutorum. Exemplum est in L. 32. ad L. Aquil. Minima negligentia, quæ, quando præstat, culpa levissima vocatur, est omisio exactissimæ diligentie, qua continetur omnis industria, quæ ab humana prudentia exspectari potest; adeo, ut si quis sit admodum diligens, non tamen sufficiat illa diligentia, si alius ad-*

buc diligentior esse potuerit. L. 1. §. 4. ff. de O. & A. Confer. Dn. Coccejus de doli culpa & negligentia preestatione, Dissut. 2. §. 17.

§. XII. *Ministrum* in tractatione nostra definimus, quod sit à summa in Republica potestate, constituta persona, ad vices ejus, in quotidiana imperandi & judicandi functione secundum præpositionis legem obeundas. Et hic genuinus Ministri est conceptus atque probe tenendus. Namque ut alias omnis rei demonstratio resolvitur in suam definitionem; ita etiam in iis, quæ sunt de potestate Ministri, infra c. 2. deducendis, multam lucem nobis affundere debet hæc definitio.

§. XIII. Quod vero dictum, ministros publicos ab eo, qui *το νόμιον* civitatis habet, constitui, supra §. 7. jam probatum est. Id tantum heic addo, de jure nihil obstare, quo minus inferioris communitatis ministros etiam per majores officiales creari curet summa potestas; plane & subinféudatio regulariter permissa est, cum vasallos subféudum concedens nihilo secius in nexu fidelitatis præstandorum servitiorum principaliter persistat; vasallus autem ille subalternus haud quaquam plus juris in præjudicium Domini exercere valeat, quam hic primi ordinis administro concessit. *Arg. L. 54. de R. J. L. 20. ff. de A. R. D.*

§. XIV.

§. XIV. *Personæ* autem vocabulum in definitione ministri late sumitur, ita ut etiam persona mystica seu moralis, hoc est, integrum collegium sub illa voce comprehendatur, prout significatus hic usu juridico pariter & politico dudum comprobatus est. Vid. Schardius in *Lexic. jur. hac voce.* Pufendorf. *de J. Nat. & Gent. l. 1. c. 1. §. 12. & 13.* magistratus enim & integra collegia, quibus, ordinaria quantumvis potestate, juris dicendi imperandique facultas concessa est, in relatione ad Reipublicæ Principem ordini ministrorum accensere nullus dubito.

§. XV. *Vices Reipublicæ*, Principis gerere ministros, neminem, arbitror, inficias iturum esse, cui intelligere datur, quod imperantium & parentium consensus, per quem felicitas civilis paratur, in laxiori republica haberi non possit, nisi imperium per multos veluti canales diffundatur, & cum superesse rebus omnibus ille, qui summa rerum potitur, haud queat, alii in partes vocentur, quorum ministerio curas publicas feliciores reddere liceat. Conf. Lampad. *de Republ. Rom. Germ. P. 1. n. 49.* Ziegler. *de Jur. Maj. L. 1. c. 29. n. 1.*

§. XVI. Hanc autem vicariam potestatem in quotidiana tantum imperandi judicandique potestate

state consistere, ideo in definitione expressum est, quia officium cuiusque magistratus aut officialis in his præcipue occupatur; quippe summam rerum & majora negotia, quæ jura Majestatis præcipua dicuntur, Rectores sibi ipsis reservare solent: Minora autem, veletiam executio majorum, eorundemque particularis ac quotidianus usus, ministris etiam & magistratibus committitur, ut recte docet Huber. *de Jure Civitat. L. 3. Sect. 1. c. 5. n. 16.*

§. XVII. Additum denique est, *secundum legem præpositionis*, non solum quia in administratione rerum præscripta legum servare debent ministri: quorum referri potest, quod judicem non de legibus disputare, sed secundum leges pronunciare jubeant jura nostra; verum etiam ideo, quod, ut alias omnia mandata sunt strictæ interpretationis, ita etiam unum quemque ministrorum sollicitè observare oporteat tabulas præpositionis, seu litteras investituræ, adeo quidem, ut limites sibi assignatos supergressus non solum pro privato habeatur *L. fin. ff. de Offic. Pref. Prat. L. 3. ff. de Offic. Procons. L. 1. ff. de Off. Pref. urb.* Sed etiam principi eo nomine exactissime respondere teneatur; qua de re pluribus infra. Conf. interim Ziegl. *de juribus Majestatis c. l. n. 5.*

§. XVIII.

§. XVIII. Atque hæc ad definitionem ministrorum. Circa divisionem rite instituendam, ex §. 15. repetendum est, in exercitio jurium Majestaticorum, opera potissimum ministrorum uti Republicæ principem, quippe quod ipse rebus omnibus solus superesse nesciat. Jam sicut eminentia illa jura univèrse vel pacem respiciunt, vel bellum: ita suprema ministrorum divisio est in *togatos & sagatos*. Utrique vel potestatem aliquam habent, vel nuda ministeria exhibent, hoc est, sunt vel ordinum majorum vel minorum. Qui circa militiam togatam occupati, iterum in varias abeunt classes, maxime tamen vel *Aulici* sunt vel *Palatini*, vel *ecclesiastici* vel *forenses*. Conf. Zasius in *Comment. ad ff. tit. sic reb. pet. n. 2.* Jacobus Gothofred. ad *Cod. Theodos. Tom. 2. p. 574.* Mihi de omnium ordinum ministris heic sermo est.

§. XIX. De cætero per modum colophonis illud observandum est, quod in publici juris disciplina non est nullius momenti, scilicet omnis generis ministros ac officiales in se privatos esse, cumque univèrse imperandi ac juris dicendi potestas originarie principi comperat, ipsos respectu principis à quo constituti sunt, haud plus juris habere ac infimos quosque privatos. Huber. de *Jur. Civ.*

Civ. p. 583. Hic igitur, ut in Logicis subalterna genera duplicem inferunt habitudinem, alteram quidem generis, qua diriguntur in subjectas species, & ad illas referuntur, dum illarum genera dicuntur; alteram vero speciei, qua considerantur in respectu ad supra posita genera, & ad illa referuntur, ut eorum nunc fiant subjicibiles species, adeo, ut ratione summi generis semper sint species & ne dicenda quidem genera: ita & ministri ac magistratus habent quidem aliquam potestatem, & vim ἀναγνασινῶν, si considerentur ratione inferiorum sibi subjectorum; at, si cum summa conferantur potestate, protinus omnis evanescit potestas, atque in ejus respectu non aliter se habent ac reliqui cives privati. Ziegler. *de Jure Majest. L. 1. c. 29. §. 2.* Grotius *de J. B. & P. L. 1. c. 4. n. 6.* Huber. *p. 583. de Jure Civ.*

§. XX. Quæ uti respectu omnium officiorum verissima sunt, & ex doctrinis politicis firmiter deducuntur: ita erubescendos turpiter se prostituunt, qui, quoad ministros Regalibus circa sacra tractandis præfectos, principiis pseudo-canonis diversum heic sentiunt, quique sædo ambitionis œstro occcati ipsi principi quasi heic superiores esse, eundemque actionum suarum, nulli divinæ

divinæ legi repugnantium, nefando profus exemplo, rationem postulare conantur. Ipsum ministerium verbi sacro sanctum est, & quatenus circa interna ecclesiæ jura docendi, monendi & sacramenta dispensandi occupatur, non nisi Divinæ Majestati subiectum adparet; at personæ ministrantes, ut à summa Reip. potestate jure constituuntur: ita etiam tum alias, tum maxime, si præter officium ecclesiasticum sacrorum quædam directio ipsis commissæ est, prudenti principis arbitrio in actionibus suis subiecti sunt, neque potestate sua in fraudem principis abuti possunt. Cordate juxta atque adposite hanc in rem scribit doctissimus J Crus Ulricus Huberus *de Jure Civ. L. 1. Sect. 5. c. 3. num. 41. seqq.* Personas ecclesiasticas imperio civili nullo jure subduci, extra controversiam collocamus; ut & publicis præstationibus ac pœnis propter commissæ legum sine dubio sunt subiectæ; etiam ut ob malos mores, causa cognita, non tantum stipendio, quod è publico capiunt, sed & munere docendi privari possint. Suffragatur huic Zieglerus *de juribus Majest. L. 1. c. 18. n. 5.*

☉) O (☉

C

CAPVT

CAPVT II.
 IPSAM DOCTRINAM DE
 NEGLIGENTIA MINISTRI PRIN-
 CIPEM NON OBLIGANTE
 PERTRACTANS.

§. I.

His ita præmissis, consequens est, ut rem ipsam nunc propius adgrediamur. Juvabit autem ex doctrina morali repetere, quid circa imputationem alieni facti & non facti, atque reluctantem exinde obligationem in universum juris sit, ut deinde argumento nostro sua veritas tanto manifestior constet.

§. II. Actionem humanam cum Pufendorffio vocamus, quæ prælucente intellectu ac discernente voluntate suscipitur; quam, ut in oppositione ad actiones mere naturales, & quæ nobis cum brutis communes sunt, etiam rationalem vocare posses; ita in relatione ad legem illa moralis quoque audit, & quidem prout cum norma legis congruit, vel minus, moraliter bona aut mala est.

§. III. Principia actionum moralium sunt intellectus & voluntas, quarum utramque facultatem

tem etiam post amissam divinæ perfectionis imaginem tantæ in moralibus virtutis esse statuimus, ut illa quidem æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere possit, hæc autem bonum ab intellectu repræsentatum eligere, malum vero libere aversari atque respuere queat.

§. IV. Opposita intellectus sunt ignorantia & error, ut voluntatis libertas circumscriptur per vim & coactionem, quæ ipsa per suum in actionem aliquam influxum efficiunt, ut illa vel plane non, vel saltem non ita graviter agenti imputetur.

§. V. Alias enim regulariter actionum humanarum, quæ ab intellectu & voluntate proficiuntur & diriguntur, hæc est præcipua affectio, quod illæ homini possint imputari, seu quod homo pro earum auctore recte possit haberi, ac ad reddendam de iisdem rationem adstringi, quodque in ipsum redundant effectus, qui ex istis proveniunt. Nulla enim propior ratio est, quare alicui actio quæpiam imputari possit, quam quia ab isto sciente & volente, mediate aut immediate, profecta est; seu, quia penes ipsum fuit, ut fieret vel non fieret. Hinc axiomatis primarii loco in disciplinis moralibus ad forum humanum spectantibus habetur, quod de illis actionibus ratio posci

posci queat ab homine, quæ ut fiant vel non fiant penes ipsum est : seu, quod eodem recidit, quod qualibet actio directionis humanæ capax, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, ipsi queat imputari, verba sunt Pufendorffii *de Off. Hom. & Civ. L. 1. cap. 1. §. 17.* Unicum saltem hoc annotare refert, quod, quæ de commissione actionis dicuntur, eadem quoque de omissione illius intelligenda veniant ; imputari enim etiam potest omissio sive ex animi præposito, sive ex negligentia & culpa proficiscatur. Conf. omn. Illustr. Do. Præsid. *Disp. de Imputatione culpe propriæ c. 2. §. 2. seqq.*

§. VI. His ita suppositis facile nunc intelligere licet, quousque aliena actio aut actionis ommissio cuidam imputari queat, aut quantum quis illa obstringatur. Juvat autem ad hoc distincte percipiendum præmittere, alienam actionem nobis haud dici, quæ quidem ab altero patrata est, ad quam tamen quis ipse positive concurret, id quod triplici potissimum modo contingere potest, vel ut alter principalis causa, patrator minus principalis habeatur ; cujus rei exemplum nobis dat Iustus Javolenus in *L. 37. princip. ff. ad Leg. Aquil.* de eo, qui jubet aliquid fieri ab homine ipsius imperio subjecto. Sane enim hoc in casu quod quis

quis per alium facit, ejus auctor ipse censetur. *L. 1. §. 1. ff. de eo, per quem factum erit.* Vel ut uterque pari velut passu ambulet in patrando facinore & resultante exinde obligatione: ita graviter Marcianus *L. 1. ff. de Receptat.* pessimum, ait, genus est receptorum, sine quibus nemo diu latere potest, & præcipitur, ut hi perinde puniantur atque latrones. *Add. L. 9. C. ad legem Jul. de vi publ. L. 14. ff. de furtis. L. 66. §. 2. ff. eodem.* Vel denique ut alter minus principalis causa sit, patrador principalis, quod iterum illustratur in jure nostro per *L. 20. ff. de his, qui not. infam. L. 2. ff. de Proxenetis. L. 13. Cod. quod cum eo, qui in aliena potestate &c.* Pluribus & præclare hæc omnia explicat Pufendorf. *de Jure Nat. & Gent. L. 1. c. 5.*

§. VII. Isthoc itaque sensu nobis non venit factum alienum, nullum enim dubium est, quin istis in casibus tanquam causa socia aliquis considerari, & effectus actionis directa intentione perpetrata eidem recte imputari una possit. Verum illa demum actio vere aliena nobis est, quæ ita ab aliquo profecta, ut alter nulla ratione vel in se, vel in sua causa, ad illam concurrerit.

§. VIII. Hoc ita præsupposito, sequentem jam formamus regulam: *Actio ab alio patrata, ut*

Et actionis debita omisio, seu negligentia aliena non potest alteri imputari, nisi quatenus hic eam scit & potest ac tenetur moderari. Veritas hujus assertio- nis facile exinde deducitur, quod ratio non fert, ut effectus actionis moralis de persona in personam transeat, nisi ad eandem quis ipse influxerit, agen- do aliquid vel omittendo.

§. IX. De influxu activo meam jam expo- sui mentem. Quod vero ad effectum omissionis attinet, ut imputatio quaedam heic locum habeat, tria potissimum requiruntur: (1) *scientia facinoris,* (2) *facultas prohibendi,* (3) *obligatio quoque per- fecta actionem impediendi.* Ubi alterutrum ho- rum conjunctorum defecerit, nihil imputari pote- rit illi, qui alterum pro lubitu suo agere permisit. *Scientia* vero requiritur, quia dirigere actionem non possumus, ubi intellectus lumen non prae- lucet, etiamsi alias dirigendi facultas pariter ac obligatio in nobis deprehendatur. *Facultas* autem prohi- bendi idcirco necessaria est, quia sine hac frustra- nea foret omnis scientia; namque impossibile nulla est obligatio, quantumvis illa alias cognitio- nem tuam haud quaquam refugiant. Quapro- pter illi demum aliena actio recte imputabitur, qui ex possibili directione quidquam omisit: ubi ra- men

men simul probe tenendum, quod possibile illud cum aliquo temperamento & moraliter sit intelligendum, ita ut accipiat pro illa facultate, solertia atque circumspeditione, quæ vulgo sufficere iudicatur, & quæ probabilibus rationibus subnixa fuit. Pufendorff. *supra c. l. Obligatio* tandem ac necessitas moderandi actiones alienas propterea quoque simul requiritur, quia citra hanc nuda scientia prohibendique facultas alieni facinoris participem atque correum reddit neminem.

§. X. Egregia plane sunt, quæ hac de re habet Hugo Grotius, Restaurator ille Philos. moralis *de J. B. & P. L. 2. c. 21. §. 2. seqq.* præter scientiam, ait, requiritur facultas prohibendi. Et hoc est, quod ajunt J. C. i. scientiam, cum puniri jubetur, accipi pro patientia, ut qui prohibere potuit, teneatur, si id non fecerit, & scientiam heic spectari, quæ habeat & voluntatem; & scientiam accipi cum consilio, ideoque non teneri dominum, si servus in libertatem proclamaverit, si dominum contemserit, quia sic culpa vacat, qui scit quidem, sed prohibere non potest: sic parentes tenentur ex delictis filiorum, sed eorum demum quos habent in potestate. Vicissim etiam si illos in potestate habeant & alioquin prohibere possent, non tenebun-

nebuntur nisi & sciverint. Pariter ergo hæc concurrere debent; scientia & non prohibitio, ut quis ex facto alieno teneatur. *Cont. Pufend. de J. N. & G. L. 1. c. 5. §. 14. circa fin. & supra §. 5. b. cap.*

§. XI. Quibus ita universim deductis facili (arbitror) negotio judicare licet, quid quantumque eorum, quæ à ministris facta aut neglecta fuerunt, principi imputari queat, & quid proinde de argumento præsentis disputationis sentiendum sit. Quamvis autem illud præcipue respiciat negligentiam ministri & resultantem exinde obligationem; haud tamen abs te erit, de factis etiam ministrorum & quousque Princeps iisdem obstringatur, quædam heic attingere, quæ fufius persequitur B. Stryckius *diff. de Obligatione Principis ex facto ministri*; quo te ablegare quam inconsultum exscriptorem agere malo.

§. XII. Facta autem officialium vel licita sunt vel illicita; in officio vel extra illud patrata. Quod ergo ad negotia nulla prorsus ratione officium concernentia attinet, ut illorum intuitu pro privato habetur administer, ita non dubium est, quin etiam solus illorum nomine respondere teneatur, plane ut procuratores atque institores in actionibus, nullo pacto munus mandati ac præpositionis con-

contractum concernentibus, dominum suum præponentemque, obligare non possunt. *L. 5. §. 11. ff. de instit. act.* Nec obstat, quod Principi etiam quandoque privatorum civium actiones, quorum in classem hoc modo descendit minister, imputari possint: namque haud aliter id verum est, quam quidem in casibus, quibus in debita & possibili directione quidquam omissum est ex parte Principis, vel ubi is alia quadam ratione sua fecit civium facta, ita, ut intuitu ipsius tum amplius pro alienis haberi nequeant.

§. XIII. Quantum vero ad illa facta attinet, quæ à ministro intuitu muneris, atque secundum legem præpositionis suscepta fuerunt, naturalis pauciter atque civilis ratio quam maxime svadet, ut, quod princeps hoc casu per alium fecit, id ipse fecisse putandus sit. Eleganter huc facit textus in *L. 1. ff. de Off. proc. Cas.* Ubi Ulpianus jctus in hæc verba respondet: *Quæ acta gesta que sunt à procuratore Cesaris, sic ab eo comprobantur, atque si à Cesare gesta sunt.* Add. *L. 5. §. fin. L. 11. §. 2. ff. de instit. act.* Quæ ut de actionibus licitis, intuitu muneris à ministro perpetratis verissima sunt, & prorsus indubitate fluunt ex principiis supra adstructis: ita num ad illicita quoque facta, seu delicta

D

hæc

hæc eadem adplicari debeant, quæstionis satis anticipitæ est. Nobis distinctione adhibita res videtur expedienda. Quod si enim princeps ad turpe facinus patrandum positive concurrat, mandando, v. g. vel connivendo, illius reatu suo merito obstringitur: idem profecto dicendum est, ubi sciens ac volens hominem nequam officio admovit, aut malis artibus ejus ex post facto demum compertis, nihilosecius in rem publicam grassari passus est nebulonem. Causam enim imputatione hoc casu justissimam præbet culpa à Principe admissa haud mediocris. Econtrario, ubi non sine justa & probabili Principis ignorantia delictum admittit officialis, recta ratio non fert, ut ad ipsum effectus sceleris ullo modo referatur, ita, ut secundum fundamenta supra adstructa, tale delictum vere alienum atque extra officii rationem à privato patratum intelligatur, adeoque Principi imputari nequeat. Neque enim mandatum ad delinquendum concessum fuisse in dubio præsumitur, neque etiam libera administrandi potestas, quæ forte officiali indulta fuit, ad id, quod jus fasque postulat, violandum ullo modo extendi potest. Cæterum æquitas non patitur, ut alter damnum dolo ministri sibi illatum gratis quasi devoret: quapropter ut boni
 prin-

principis est, omnimode ad satisfaciendum adigere delinquentem : ita, ni crimen suum facere velit, receptum ei prestare non potest. Conf. Hug. Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 21. §. 4. n. 1.

§. XIV. Nec obstat, quod jura nostra dominum etiam indistincte quasi delicti reum postulent, si quidquam à domesticis peccatum est, ita, ut velut in proverbium abierit, factum familiae esse etiam factum Domini. Vid. Klock. Vol. 1. Conf. 38. n. 27. adeo quidem, ut damnum passio electio detur, utrum contra famulum, an vero contra dominum experiri velit. L. 1. §. 3. ff. furti advers. naut. L. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. Ad hoc enim quod attinet, primo quidem regula illa fallentis suis non est destituta. Conf. Dn. Coccejus de Curiositate legali, cap. 2. conclus. 11. Dein tantum abest, ut à privato homine & ejus famulo ad Principem ejusque ministros omnium ordinum heic argumentum duci queat ; ut potius gravissima eademque innumera hujus negotia cum qualibuscunque illius occupatiunculis comparari nequeant. Accedit, quod semper hic supponatur negligentia quaedam in eligendo ministro admissa. Potest itaque & teneatur privatus diligentiam adhibere multo exactiorem in eligendo officiali ; ex quo demum funda-

mento est, quod juxta superius dicta familiae factum pro facto domini reputent leges civiles. Facile hinc constare arbitror, quod ad Principem indistincte applicari haud queat illa assertio; legem itaque *supra cit. 1. de offic. procur. Cas.* solum de negotiis licitis intelligendam esse rationis est.

§. XV. Potius est, ut ultimo loco breviter dispiciamus, quid justum sit, ubi legem praepositionis mandatique fines transgreditur officialis; nimirum expediti juris est, quod mandata strictae sint interpretationis, ita quidem, ut omne, quod extra terminos eorum gestum est, ipso jure nullum sit, nec domino quidquam praediceret, *L. 5. pr. mandati. L. 10. C. eod.* Jam vero experientia magistra docemur, neminem ad munus quoddam publicum aut principis ministerium admoventi, cui non simul dentur tabulae commissionis (vulgo *die Instruction* oder *Bestallung*) quibus indicatur, qua ratione is principis negotia gerere, & quomodo provinciam sibi demandatam tueri debeat, tam quidem intuitu subditorum, quam ratione negotiorum cum exteris intercedentium. Con omnino *Seckendorff. in der Erläuterung des Fürsten Staats.* Ergo idem de officialibus verum erit, quod de procuratoribus dictum est, quod scil. limites

mines præpositionis transgressi non magis obligentur principem, quam alium extraneum, qui nihil plane mandaverat. Optimo itaque jure introductum est, ut magistratus extra suam provinciam pro privato habeatur. *L. fin. ff. de Off. Præf. Præf. L. 1. ff. de Off. Præf. urb. L. 3. ff. de Off. Procons.* addatur Stryckius *c. l. ubi c. 2. n. 49.* cum Mevio decidit, quod, ubi minister non custoditis quidem præpositionis finibus, utiliter tamen gesserit negotia principis, in tantum is obligetur, in quantum doceri potest, ejus utilitatem promotam esse, per *L. Civitas 27. ff. de rebus creditis.*

§. XVI. His ita præmissis, & quia ab instituti ratione aliena sunt, breviter saltem delibatis, ad ipsam, quæ mihi proposita est, tractationem jam nunc progredior. Occupabitur autem illa circa hanc quæstionem: An Princeps de juribus suis regalibus quidquam amittat per negligentiam aut incuriam ministrorum, qui illis exercendis præfecti sunt? vel, quod eodem recidit: An negligentia & inertia officialium in præscribendis & amittendis juribus, quæ sunt circa officium suum, domino quoque imputari possit, ipsique noceat? Gravis admodum & Principibus valde præjudicialis hæc quæstio est, & quæ in utramque partem dis-

putationem recipit. Ut autem, quid circa illam juris sit, tanto luculentius constet, meam sententiam clare ac, ut spero, perspicue proponam, argumenta dissentientium in medium proferam, iisque sub incudem revocatis, rei veritatem uberius declarabo.

§. XVII. Constat autem ex illis, quæ supra c. 1. §. 10. 11. proposita fuerunt, omnem negligentiam cum omissione quadam conjunctam esse, & quamquam in arte juris nostri etiam culpæ commissionis mentio fiat, cum culpæ & negligentia vocabula idem notare mihi persuasum sit; rem tamen paulo penitius intuenti facile patebit, quod etiam in hac culpæ specie revera ommissio quædam diligentia occurrat, ita quidem, ut adhibita ea rectius geri omnino potuisset negotium. Inde etiam est, quod culpa tam commissionis quam omissionis, debita diligentia prætermissio à multis definitur, juxta §. 3. *Inst. quibus modis re contrah. obl. L. 72. ff. pro socio.* Bocer. *de Contract. c. 3. n. 9.* Quidquid interim hujus sit, id certe expeditum est, omnem omissionis reatum, hoc est, tam simplicem negligentiam, quam quæ circa facienda committitur, eandem post se trahere imputationem, quam in commissione notant jura. Quod ergo ^{supra} §. 9.

§. 9. *hujus Cap.* de imputatione facti alieni dictum, id etiam de non facto heic jubet repetere ratio instituti. Nimirum, ut culpa & negligentia propria homini inertii suo imputari potest merito, quia pene ipsum fuit, ut posthabita fide ac industria debita, minus prospere cesserit negotium. *conf. §. 5. b. c.* ita aliena negligentia non nisi duobus casibus nocere alteri ac imputari potest: primo enim id contingit, ubi quis sciens volensque hominem inertem atque res parum curantem negotiis praposuit, quae segnius gesta damnum post se relinquunt. Alter casus est, ubi quis actionem negligentius patrarit intellexerit, eandemque & moderari potuerit, & quoque debuerit, nihilo tamen secius parum curae cordique habuit officii rationem.

§. XVIII. Quibus ita praemissis, facili jam negotio intelligere licet, quousque & quando officialium negligentia principi in amittendis juribus suis existat nociva, & quibus casibus illorum incuria ipsi queat imputari. Nimirum, quod si princeps sciens ac volens, aut per ignorantiam quidem, facile tamen vincibilem, socordes ac negligentes homines suis admovit negotiis, illique in his damnum fieri passi sunt, merito sane principi imputari hoc potest ac debet: naturalis enim juxta & civilis

lis ratio distat, quod culpam committat, qui minus fideles ad officium adhibet. *L. 7. §. 4. ff. Naut. cap. stab.* unde etiam sibi non alius imputare debet, qui eligit personam socordem & minus idoneam. *L. 72. ff. pro Socio. Dn. Coccejus de Doli culp. & neglig. præstat. Disp. 3. §. 19. Idem de Curios. Legali proficua. Cap. 2. Concl. 11. Add. B. Strickius c. l. c. 4. n. 27.*

§. XIX. Præterea quoque in regalibus suis juribus detrimentum contingere potest principi, si non ignoret negligentiam ministrorum, qui illis exercendis, cum frugi initio essent, præstiti sunt, sique, cum posset, officii non admonuit socordes, beneficiis non exuit immorigeros. Principi enim, non ministris primario salutis publicæ cura demandata est; inde etiam ipse potissimum sollicitus esse debet, ne quidquam damni in suis partibus capiat civitas. Stantibus autem hisce requisitis, eadem causa est, ut ad dominum referatur officialis noxa, quæ militavit in casu priori.

§. XX. Cæterum illud tamen heic annotare maximo opere refert, quod ista utriusque casus requisita non sine grano quodam salis ac temperamento morali accipienda sint. Non enim qui summam rerum curat, ob innumera, quæ ipsum nul-

nullo non tempore circumstant negotia, ad vivum quasi refecare omnia valet. Quapropter, ut alias entia moralia suas habere dicuntur latitudines; ita quando per scientiam suam possibilemque directionem, ministri negligentiam suam fecisse dicitur princeps, hoc tamen modo intelligendum id est, ut cum persona principis stare possit ejusmodi imputatio. Cum enim per quamcunque subjectionem unius sub altero, subiecti tamen libertas non extinguatur, quin is alterius directioni reniti ac in diversa tendere possit, nec vitæ humanæ ratio ferat, ut quis uni perpetuo velut affixus, omnes istius motus observare queat: igitur si quis omnia fecit, quæ directionis sibi injunctæ natura ferebat, ubi nihilominus quidquam ab altero patratum fuit, patranti soli id imputabitur. Quæ, ut Pufendorffius *de Off. Hom. & Civ. c. 1. §. 18.* universe observat, ita ad Principem multo magis quadrabunt.

§. XXI. Neque vero est quod objicias; per alios majores ministros in officio minores continere posse principem: namque majores ipsi illi sunt, quibus regaliū cura commissā est; & quis ergo horum quoque omnium motus satis observabit? Neque etiam Ministrissimus, quem vocant, in partem curarum à principe vocatus, solus

E

con

conficiet omnia. Ut jam ex historiarum monumentis & civilis prudentiæ regulis fufe deducere superfedeam, quam perniciofum esse reipublicæ soleat, si per Ministriffimum illa gubernetur & quanta discrimina ipsi principali capiti ab hoc saepe immineant; quæ ejusmodi sunt, ut diversum statuentium ratiocinia cordatiores Politici facile convellant.

§. XXII. Cæterum, his ita comparatis, palam est, nec obligatum esse principem, qui omnium & singulorum ministrorum actiones anxia quasi sollicitudine examinet: namque & de ipso verum est, quod universim effert vulgatus canon: Impossibile nulla est obligatio.

§. XXIII. Conclusio, quæ ex hisce præmissis fluens obiter heic annotari debet, hæc est: Quod nobilis aut vasallus æque ut quivis extraneus, præscriptionem juris cujusdam regalis contra principem allegans, non officiales tantum, sed potissimum ipsius principis scientiam probare necesse habeat: & quousque probatio hæc oppido difficilis data non fuerit, eo usque non potest non pro principe militare præsumtio deficientis notari. Neque hic audiendi in contrarium sunt, quos prolixo catalogo recitat Mylerus in *Hyparchologia* c. 10. §.

16. §. 16. 17. 18. Sunt enim illi plerique omnes Doctores extranei; praxis vero judiciorum Germaniæ neminem juris prudentiæ patriæ peritum dubitare finit, quod principi ignorantibus non obsit præscriptio. Gailius *L. 1. Obs. 19. in fine.* Rosenthal. *de feudis. c. 9. membr. 2. conclus. 92.* Berlich. *Part. II. conclus. 10.* Mevius *Part. III. Decis. 4. num. 7.* Lyncker. *Part. 1. Decis. 278.* Aliud de jure Romano obtinet, per *L. ult. Cod. de longi temp. præscript. L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.*

§. XXIV. Ex his sponte quasi sua liquidissime fluit, quod, ubi Princeps in eligendo ministro non modo omnem diligentiam adhibuit; verum etiam in directione atque inspectione sua, prout quidem supra expositum est, nihil quidquam desiderari passus fuit, tunc utique principi nihil merito imputari potest. Interim tamen cum non desint, qui hæc tenus dictis reclamare, & quæstionem nostram in odium principis simpliciter affirmare volunt, audiendi & hi sunt.

§. XXV. Primum pro affirmativa stabilenda argumentum desumptum est ab obligatione domini ex negligentia procuratoris. Quemadmodum enim expediti juris est, ajunt, quod hic omit-
tendo id, ad quod per mandatum obstrictus erat,

domino noceat, per l. 23. in fin. ff. de Minoribus. L. 5. princ. ff. de tribut. act. & vero dubium non sit, quod praefectus vel officialis sit quasi procurator quidam, qui mandato principis munus suum administrat: ita etiam non inepte concludi posse, quod negligentia officialis ipsi domino sit detrimetosa. Aug. Barbosa ad cap. cum ad sedem. 15. n. 13. X. de Rest. spoliat. Myler. ab Ehrenbach in Hyparchol. c. 10. §. 15. n. 26. 27.

§. XXVI. Alterum & huic fere simile argumentum desumptum est ex L. 7. ff. Naut. caup. stab. ubi I Crus Ulpianus in haec verba respondet: *Debet exercitor omnium nautarum suorum, sive liberi sive servi, factum praestare, nec immerito factum eorum praestat, cum ipse eos suo periculo adhibuerit.* Hujus itaque textus auctoritate, quo cum consentit L. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. concludunt, Principem quoque obligatum esse ad praestanda ea, quae negligentia officialium ac praefectorum suorum perpetrata fuerunt: sicut enim jus constituendi ministros ad ipsum originarie spectat, ita etiam suo periculo constituisse videtur parum diligentes & publicae rei curam non habentes. Vid. Manz. de Procurat. n. 313. à Stryckio cit. disp. c. 4. n. 30. allegatus. Myler. c. 1.

§. XXVII.

§. XXVII. Tertio ajunt, quod sicut ipse dominus scientia & patientia sua per longissimum tempus jura sua amittit. Rosenthal. *de feudis. c. 5. concl. 16. 17.* ita eodem quoque modo per officium scientiam & patientiam eadem perdere ipsum, cum, quodcumque quis per alium administrat vel negligit, per semet- ipsum administrasse aut neglexisse videatur, per *L. si quis 7. §. ult. ff. de Jurisd. L. 6. §. 1. ff. eodem.* Conf. Myler. *cit. loco n. 27. Stuyckius cit. Disp. c. 4. n. 19.*

§. XXVIII. Quarto hæc confirmare volunt ex casu *L. 30. ff. de Negot. gest. de primario officiali præposito, qui de culpa ministri sibi à Republ. in auxilium dati tenetur, ut & ex casu L. 2. Cod. de condit. in publ. horr. Lib. X. ubi damnum, quod ex negligentia Procuratoris frumento à pluvius illatum, totum Præsidi imputatur. Myler. n. 28. c. 1.*

§. XXIX. Verum enim vero parum roboris in se habere videntur hæc omnia argumenta. Quod enim ad 1. & 2. attinet, universim equidem responderi posset, quod LL. Justinianæ ex quibus illa desumpta sunt, principes, quos præsens disputatio respicit, non nisi volentes obligent, cum Justiniani subditi non fuerint illi, legesque ab ipso latas libere recipiant ac abrogent, velle autem nemo præ-

præsumitur, quod ipsi damnosum est. Sed quia
 hac doctrina passim turpiter abutuntur nonnulli re-
 centiores, & observantia quoque imperialis in
 multis admodum temperat hanc assertionem, in-
 de alias potius in medium adferam responsiones.
 Nimirum loquuntur citatæ leges de eo, quod ju-
 stum est, quando aliquis sciens ac volens, vel sal-
 tem debita inquisitione non adhibita, parum dili-
 gentes homines negotiis præposuit. Verum ad
 hoc jam supra responsum est, quod casu hoc pro-
 pria magis quam aliena negligentia detrimentosa
 sit, & quod quis hac ratione damnum, quod sua
 culpa sentit, sentire non videatur, deinde vero,
 quamvis inficias ire haud velim, quod procurator
 aut institor quidam cum officiali in multis conve-
 niat; differentia tamen ratio, quæ inter utrumque
 intercedit ingens, hæc est, quod procurator regu-
 lariter sit persona privata; officialis contra publi-
 ca: ille privatæ rei familiari inservit; hic rei pub-
 licæ negotia tractat. Jam uti causæ publicæ ac fi-
 scales multis privilegiis gaudent præ illis, quæ sin-
 gulorum tantum interesse respiciunt, de quibus in-
 tegro tractatu agit Peregrinus *de Jure fisci*: ita et-
 iam rationis est, eandem quidem, immo majorem
 diligentiam in officiali requiri, quæ desideratur in
 pro-



procuratore ; Attamen, ne, quod in favorem civitatis introductum est, in odium illius detorqueatur, minus illius quam hujus negligentiam nocere posse, adeo, ut hoc sensu à mandatario ad officialem publicum validum consecutionis filum duci haud possit. Add. *supra* §. 14. b. cap. Honded. II. *Conf.* 9. n. 35. seq. Perill. Baro de Lyncker. *Parte III. Decis.* 1447. Mevius *P. IV. D.* 23. n. 4.

§. XXX. Ad tertium vero argumentum respondeo : verum quidem esse, quod princeps fecisse videatur, quæ fecit officialis *L. 1. ff. de off. proc. Cas.* Mevius *Conf.* 34. n. 29. Attamen illud de eo solum casu intelligendum esse, quando officialis factum tendit ad conservationem jurium principis, non quando ad dissipationem eorundem illud refertur. Qua de re præclare sentit Paris de Puteo *Tr. de syndicato. voc. Composito. c. 9. n. 5.* Factum officialis tunc censetur factum domini, quando bene agit, non quando male ; quia, ut male faceret, hoc ipsi non commissum, quin potius ea, quæ noxia sunt domino, officialis ut privatus fecisse censetur, similiter ut in factis tutorum & curatorum obtinet, per *L. 22. C. de pactis.* Laudatus *Dr. Baro de Lyncker. Part. 1. Dec.* 108. B. Stryckius *supra cit. Disp. c. 2. n. 40. 41.* Facile inde colligitur,

tur, quod à facto ministri licito, ad negligentiam ejusdem prohibitam, immo etiam à negligentia ipsius principis ad negligentiam ministri, nulla iterum sit consecutio. Aliud vero, si princeps negligentem hominem sciens adscivit.

§. XXXI. Ultimum vero, quod adversam partem tenentes producunt argumentum, adeo omni robore destitutum est, ut comparatum cum iis, quæ superius dicta sunt, sponte concidat. Nimirum primo responderetur: ab eo, quod justum est circa officialem primarium eique adjunctum vel sponte adscitum subofficialem, quo de in laudatis legibus agitur, non posse firmum argumentum duci ad summam in Republ. potestatem ejusque administratos, quos præsens disputatio respicit, *Conf. supra c. 1. §. 7.* Deinde vero id plane enervat objectionem illam, quod non aliter alienæ negligentia imputatio istis in locis obtineat, quam quia Præfectus vel Præses adjunctum sibi ministrum ea, qua par erat, ratione non direxit in officio, vel quia negligentem sciens in partem curarum vocavit; ita enim optimo jure ipsius periculo omnia geruntur, aut etiam negliguntur. *Nov. 82. c. 7. in fin.* At enim vero hos casus, supra §. 18. jam nos absolvimus, neque illi quidquam ferunt nostram thesin.

§. XXXII.

§. XXXII. Quæcum ita sint, & argumen-
tis partim ab eo, in quo principes constituti sunt,
statu, partim vero ex officialium conditione de-
sumtis demonstratum sit, quod regulariter negli-
gentia ministrorum domino haud quidquam sit
detrimentosa, age, ut veritas assertorum tanto lu-
culentior adpareat, rationibus ex eorum quoque
conditione ac statu, qui per negligentiam mini-
strorum in perniciem principis locupletari cupiunt,
petitis, doctrinam hanc magis incrustatum ibo.
Sunt autem illi universim vel exteri, vel ipsius prin-
cipis, cujus præjudicium agitur, vasalli ac subditi.

§. XXXIII. Quod jam ad exteros attinet,
neminem equidem dubitare sinit juris publici uni-
versalis juxta & particularis Germaniæ disciplina,
quod Principes contra Principes alios regalia præ-
scriptionis titulo acquirere possint. Conf. Baro
de Lyncker. *de super. territ. p. 41. 42.* Itter. *de feud.*
Imp. 1. 8. §. 32. add. Grot. *de J. B. & P. L. 3. c. 4. §. 1.*
sed vero impedita satis quæstio est: Utrum illa re-
quisita, quæ jura civilia & canonica ad unamquam-
que præscriptionem observari volunt, heic etiam
observanda veniant? an vero ista præscriptionis in-
doles, quæ liberas inter gentes, Romanorum præ-
cepta insuper habentes, frequentatur, in judicium
F venire

venire heic debeat? Non equidem vacat in præ-
sens conglomerare, quæ in utramque partem hæc
in re disputari prolixè possent. Quidquid enim
ejus sit, id certe palam est, neutra facile ratione suis
juribus excidere principem, quum naturalis æque
ac civilis jurisprudentia plus faveat pristino domi-
no, quam qui jus aliquod nove prætendit.

§. XXXIV. Ad gentium itaque juris præ-
scriptionem quod attinet, licet quis forte inter
principes nostros, tanquam cives ejusdem Reipubl.
hanc obtinere, non immerito dubitare possit, fun-
damentum illa suum unice habet in tacita derelicti-
one ipsius prioris domini, ex immemoriali tempo-
ris lapsu elicienda. Quousque ergo immemoria-
le temporis spatium non effluxerit, eoque pacto
derelinquendi animus, qui nunquam præsumitur,
probatum fuerit, eousque etiam arenosum reputa-
tur præscriptionis fundamentum. Quam in rem
uberius conferri possunt, quæ præclare notavit
Hertius *de modo constit. Civitat. Sect. 1. §. 5.* Neque
vero minori incommodo defungi licebit, ubi in ci-
vilis juris præscriptione causæ huic patrocinium
quaeritur. Præterquam enim, quod impium &
rigorolum remedium sit præscriptio, contra quam
in dubio pronuntiatur, ut recte docet Mevius *Part.*
II,

II. Decif. 102. n. 1. id etiam, quod pauci observant, heic annotasse maximopere refert, patriae jurisprudentiæ præceptum, judiciorum usu comprobatum esse, ut præter quinque illa Jur. Rom. requisita, scientiam quoque non officialium tantum, sed ipsius etiam domini, contra quem allegatur præscriptio, probari debeat, prout summorum virorum auctoritate supra §. 23. fusius probatum dedi.

§. XXXV. Ex hac disciplina etiam judicari potest, quid circa præscriptionem imperii jurium, quam Vasalli ac Landsassii pro se allegant, obtineat. Equidem non ignoro, esse viros doctos, qui, quod Regalia præscriptione acquiri possint plane negant; ut Arnisaus *L. 2. de Jur. Maj. c. 2. §. 1.* Engelbr. *de Jurisd. imper. §. 101.* Pauermeister. *de Jurisd. L. 1. c. 23. n. 28.* Quos sequitur Dn. Thomasius *Disput. de Præscriptione Regalium ad jura subditorum non pertinente, ubi c. III. §. 2.* ita concludit: *non tamen statuimus, ad jura subditis concessa pertinere Regalia, quocumque etiam temporis spatio à subditis detenta fuerint, sed permanere summa majestati annexa & prohibita revocabilia.* Rationem hujus negativæ sententiæ hanc reddunt; Præscriptio, inquit, juris gentium adversus principem non habet locum, ut quæ se fundat solum in tacita derelictione;

at tacita derelictio heic non præsumitur, ubi princeps expresse repetit, nec juvaret subditum, etiamsi acquisivisset exercitium juris majestatis ex tacita derelictione principis, quia tamen possideret saltem jure privilegii gratiosi taciti, ac privilegia gratiosa etiam ex communi sententia à principe semper & pro lubitu tolli possunt. Præscriptionem vero, quæ juris civilis est, & in pœna negligentiae se fundat primario, quatenus à jure gentium abicit, adversus principem, qui legibus solutus est & pœnis humanis, allegare velle valde incivile foret; verba sunt laudati Dn. Thomasi *in notis ad Ulrici Huberi Tr. de jure civit. L. 1. Sect. III. c. 9. §. fin.*

§. XXXVI. Quamquam autem non desint, quæ circa theoretica fundamenta hujus fori etiam observantia destitutæ opinionis in medium proferri possent; malo tamen in praxi receptam rationabilem sententiam breviter heic exponere, quam in doctrina ista examinanda multum laborare; ad quam interim videri possunt, quæ habet Hertius *de modis constit. Civit. Sect. 1. §. 5.*

§. XXXVII. Nimirum, uti non omnia jura regalia ita comparata sunt, ut Princeps illa salvo imperio, expressa feudi lege vel alio contractu conferre valeat, ita etiam palam est, nulla præscriptione

ne subditos aut vasallos jura ejusmodi reservata acquirere possit. Conf. Rosenthal, *de feudis. cap. 4. Conclus. 29. num. 10.* Klock, *IV. Conf. 80. num. 225.* è contrario cum quædam jura minoris velut momenti sint, & salva principis suprema potestate ab ordinibus provinciæ exerceri possint, veluti piscationis venationisque emolumenta; cur talia hæc à subditis atque vasallis præscribi haud possint, nihil quidquam prohibet; modo immemoriali temporis usu, probataque principis scientia, hæc usurpata fuerint. Ziegler, *de jur. Majest. L. 1. c. 3. §. 18. & 19.* Lyncker, *P. III. Dec. 1123. cum allegatis. add. Mynsinger. Cent. 1. obs. 30.* Caeterum huic temporis, pupillaris minorisque ætatis annos imputari, æquitas ferre non videtur.

§. XXXVIII. Quousque autem nec immemoriale temporis spatium, nec etiam certa domini scientia probata fuerit, eousque etiam nulla intelligitur talis præscriptio, quippe quæ hoc pacto non solum requisito titulo destituta est; cum ex adverso, ubi scientia & patientia domini, per immemoriam temporis lapsum probata, vim tituli vel contractus habeat. Menoch, *L. 3. de presunt. c. 31. num. 44.* Baro de Lyncker, *P. III. Decis. 1169. ibique citatus Klock.* quin etiam à mala fide, quæ

ex praxi *cap. fin. X. de praescript.* perpetuo abesse debet, non aliena foret ejusmodi usurpatio. Sane enim perfide agunt, qui posthabita jurisjurandi religione, qua lub, ut vassalli & subditi ad commoda principis pro virili promovenda se obstrinxerunt, ipsi rapacibus quasi manibus jura ejus involare piaculo non ducunt. Adeoque quantumvis etiam officialium incuria putativae praescriptionis tempus adimpletum videatur: vetustas tamen injustitiae potius, quam praescriptio erit, ad quam ita fit provocatio: quod multo magis ita comparatum est, si ipse officialis quoque, forte ob negligentiam sui antecessoris, in justa & probabili ignorantia constitutus fuit. *Conf. Mevius P. III. dec. 24. n. 5. Lyncker. Part. I. Decif. 278.*

§. XXXIX. Quae de scientia, ex parte principis necessaria, proposita sunt, ita ampliantur, ut, quamvis jura quaedam sacra aut secularia aliis quibus expresse concesserit princeps, hoc tamen solo obtentu, alia, quae istis affinia sunt, in societatem quasi exercitii trahi non possint; nisi & circa usum posteriorum principis consensus dicta ratione intervenisse liquido probatum fuerit. In dubio enim nec princeps, quod suum est, jactare praesumitur; accedit, quod omnes concessiones strictae

strictæ sint interpretationis: quæ disciplinâ, ut præclare adstructa & auctoritatibus etiam roborata est à Dn. Thomasio, *de interpretatione beneficiorum principis*: ita in sacris pariter atque profanis, quæ principem concernunt, juribus oppido notabilis est.

§. XL. Admodum in hanc rem faciunt, quæ saluberrime constituta sunt, in Ord. provinc. Anhaltina *Tit. III.* verbis: Die andern aber, so neben denen Obergerichten und Jure Patronatus das Jus, die Schulmeister zu vociren und zu removiren, durch gnädigste Concession, oder sonst rechtmäßig, erlanget, und solches Herkommen zu Recht erweisen können, wollen Wir dabey ruhig lassen und schützen. *lc. Tit. IV.* Und weil etliche wenige mit Obergerichten und dem Jure Patronatus Beliebene darneben angeführet, daß sie, ohne Zuziehung Unserer Superintendenten, und anderer Kirchen-Visitatores, die Kirchrechnungen bis dato abgehöret, so sollen sie auch künfftig, wenn sie solche Gewohnheit rechtmäßig hergebracht und erweisen können, und derselben sich nicht bereits mit gutem Willen oder Transaction begeben, dabey gelassen werden. *zc. Unicum il- lud annotare summopere refert, sc. per adquisitio-*

nem legitimam, procul dubio non aliam hic intelligere Serenissimum Latorem, quam quæ immemoriali temporis lapsu certa quæ principis scientia subnixæ est. *conf. omnino §. 38. supra. Ockel de Præscript. immemor. Cap. 1. th. 12.* Hinc autem palam est, maximo in errore, ne quid amplius dicam, versari vasallos ac subditos, qui hæc & similia Principis jura regalia, pauciorum etiam intra annorum spatium amitti atque sibi adquiri posse putant, modo unum alterumve actum pro se allegare valeant.

§. XLI. Immo adeo verum hoc est, ut, quamquam princeps in usurpationem jurium à vasallis aut subditis factam expresse consenserit; hic tamen consensus falsis officialium assertionibus aut detrimetosis persuasionibus, non sine collusione eorum, qui ex juribus principis patrimonium augere conati sunt, emendicatus fuerit, dominus, re melius perspecta, possessione sub- & obreptie impetrata haud quidquam obstante, revocare possit jura, quæ ab aliis aliquandiu usurpata fuerunt. Nec adverteatur, quod principi à contractu, etiam cum subdito inito, ne quidem ex plenitudine potestatis recedere licitum sit; divini enim juris præceptum, quod sacrosanctam pactorum fidem requirit, adeo nihil quidquam privilegii in hac parte indulget sum.

summam rerum tenentibus, ut potius ad explenda
 promissa tanto arctius illi obligentur, quanto per-
 niciosius est perfidia exemplum ab ipso principe
 datum. Quo intuitu dignum sane principe effa-
 tum est illud Alphonsi, Atragonia Regis, tantum
 inquentis, valere debent principum verba, quan-
 tum privatum jusjurandum. *Conf. Gail. L. 2. Obs.*
55. n. 5. & 6. Mulz. in Repräsent. Majest. Imp. P. II.
c. 31. n. 2. Carpzov. Decif. Illustr. Sax. 87. num. 12.
 Hanc enim objectionem facili negotio superabit,
 qui ex juris philosophia intelligit, duo esse consen-
 sus principia, intellectum puta & voluntatem, er-
 rorem autem excludere intellectum, & per conse-
 quens etiam consensum; nullam autem esse con-
 ventionem sine utriusque partis consensu initam,
 & nullitatem hanc, maxime si reipublica, in qua
 tot pupilli minoresque deprehenduntur, damnum
 post se trahit, semper corrigibilem esse. Nec ever-
 titur hæc decisio ex eo, quod error regulariter no-
 cere debeat erranti, hoc casu Principi; & quod ne-
 gotium firmum sit, etiamsi tertius, e. g. minister,
 adhibuerit dolum. Namque illi regula tum de-
 mum locus est, si quis errorem per propriam cul-
 pam sibi obrepere passus est, à qua tamen Princeps
 jurisjurandi religione adstricto ministro fidem ha-
 bens,

beñs', alienus est ; hæc autem maximã procedit, si tertius, non colludente eo, qui cum paciscimur, dolum adhibuit, quod tamen à nobis supponitur. Conf. Mulz. in Repræs. Maj. Imp. cit. loc. L. B. de Lyncker. Parte III. Decis. 1289. Mev. P. II. Dec. 182. n. 9. 10.

§. XLII. Extenditur doctrina hæc ad illos etiam casus, ubi integra collegia, quibus summam regalium jurium inspectionem commisit Princeps, negligentia aut conniventia sua usurpationi aliorum locum dederunt. Quod enim supra §. 30. *hujus cap.* fusius deductum est, ad conservationem jurium publicorum, non ad dissipationem eorundem tendentia ministrorum facta, pro factis domini ipsius reputari : id commode huciterum refertur, ut officialium largitiones aut concessiones, sine certa Principis scientia factæ, nulla ratione subsistere aut rebus principalibus nocumento esse queant. Quæ disciplina, ut in levioris etiam generis juribus vera est : ita multo magis procedit, si majoris momenti jura, & quorum alias exercitium Principes sibi unice reservare sive verunt, culpabilis illa ministrorum conniventia respiciat. Ista enim cum ab ipso Principe, salva quidem suprema in territorio potestate, in alios transferri nequeant, *vid. supra §. 37.*

§. 47. b. cap. nulla ratio est, cur facinorosa ejusmodi negligentia stare teneatur regionis dominus. Notandum vero heic est, quod inter jura ejusmodi reservata in foris evangelicorum Principum haud dubie connumerentur ea, quae praeter illud patronatus, ut vocant, jus, disciplinam ecclesiasticam atque sacrorum ordinem respiciunt. Cujus observationis veritas vel ex hoc solo manifesta redditur, quod vasallo, quantumvis de omnimoda jurisdictione investito, episcopalis tamen juris partes, & quae ad hoc referuntur, nulla ratione simul concessa intelligantur. Vid. Carpzov. in *Jurisprud. Eccles. L. 1. def. 1. 3.* Dn. de Lyncker in *Analectis ad Struvii Syntagma Juris feud. c. 6. aphor. 18. n. 5.* & complures alii, quos citat Dn. Hornius *Jurisprud. feud. cap. 7. §. 12.* qui communi ore asserere nulli dubitant, investituram verbis: **Mit geistlichen und weltlichen Gerichten** factam, non simul ecclesiasticam jurisdictionem, sed tantum jus patronatus tribuere.

§. XLIII. Ex dictis etiam facile judicare licet, quid juris obtineat, quando tempore pupillaris aut minoris domini aetatis, tutelari regimini admoti officiales, factis vel non factis suis damnum intulerunt principalibus rebus; cujus rei exem-

plum est, si per incuriam suam jura dominica ad se trahendi occasionem aliis dederunt. Nimirum quod in privatis constituunt jura civilia, minoribus regulariter non currere prescriptionem, adeo quidem, ut ob lationem suam ne quidem ad restitutionis in integrum remedium recurrere necessum habeant, sed ipso jure tui sint *L. 3. Cod. quibus non obijcitur longi temporis prescriptio L. fin. Cod. in quibus causis in integrum &c.* Id, inquam, tanto rectius ad Principes applicare ratio jubet, quanto magis totius reipublicæ interest, ejusmodi pupilli jura intacta potius servari, quam post vulneratam causam remedium quæri. Quapropter ut alias ministris ad dissipanda domini jura nulla potestas competit, ita multo minus minorenni principi, nisi major factus ipse vere consenserit, fraudi esse poterit suorum improvida administratio. Conf. Do. Lyncker. *P. II. Dec. 961. & 895.* ubi cum aliis docet, quod imprimis adversus episcopalia jura locum non habeat prescriptio.

§. XLIV. Ceterum nihil obstat, quo minus etiam restitutionis in integrum remedio, si volupe fuerit, uti queat civitatis Rector. Verum, ut illa non ex solo civili jure venire videatur, cum naturalis etiam æquitas postulet, ut aliorum fraude atque dolo circumventus in negotiis, ubi bona fide agendum erat, restituatur in integrum: ita etiam

etiam summa in republica potestas, legibus quippe civilibus soluta, non adstringi poterit, ut intra quadriennium præcise, ab adepta majorennitate computandum, illud juris remedium arripiat. In primis si ejusmodi actus præjudiciales non statim post consecutam majorennitatem, sed demum post elapsos aliquot annos, ad notitiam Principis pervenerint. Hac in re facile suffragatores habebō eos, qui principem etiam majorem, perinde ut rem publicam aut universitatem, jure minorum uti, & in actibus illis, qui in perniciem status aut læsionem reipublicæ vergunt, restitui posse contendunt, quos sequitur Sfortia Oddus *de restit. in integr. part. I. qu. 3. art. 14.* Conf. Ziegler. *ad Grovium de J. B. & Pac. L. II. c. 14. §. 1.* Id tamen quoad jura imperii majora non admodum displicet, quod nonnullis videtur, plane non opus esse, ut propter illorum prætentam præscriptionem in integrum restitutionis medium in auxilium vocent principes, cum potius ipso jure tuti sint, vid. Dn. Thomasius *de præscriptione Regalium c. 3. §. 17.* Præscribi enim non potest, quod alienari nequit, Dn. Baro de Lyncker. *P. II. Dec. 990.* Interim, quod si etiam intuitu Regalium, ut vocant, minorum plane non usus sic Princeps isthoc remedio, haud quaquam illa protinus amissa intelligi possunt; quin potius immemorialis temporis præscriptio, à tempore consecutæ majorennitatis & scientiæ currens, præterea requiritur.

§. XLV, Quæ de obligatione Principis ex negligentia propriorum ministrorum hætenus dicta sunt, ea, num illorum etiam, qui antecessorum in imperio stipendia meruerunt, facta aut non facta respiciant? quæstio est. Præjudicialis autem controversia est, an princeps præstare teneatur facta antecessorum? quæ, uti in utram-

que partem disputata à multis est, atque indistincte negari aut affirmari, imprimis agnatorum intuitu, non potest. Vid. Carpz. in *Decif. illustr. Saxon. Decif. 188.* ita in casibus affirmandis iterum requiritur, ut antecessorum principum confirmationes producant, qui, officialibus etiam scientibus, jura quædam sibi adquisivisse videntur, regionis ordines. Hic autem possessionis titulus, quousque non fuerit editus, eousque etiam malæ fidei præsumtio militabit contra novum juris assertorem; Malæ fidei autem possessor ne quidem immemoriali temporis lapsu præferibit; ita sentiente Klockio *Vol. 2. Consil. 48. n. 40. Zaf. Vol. 2. Consil. 16. n. 51.*

§. XLVI. Quæ cum ita sint comparata, tandem etiam constat, quid judicare par sit, ubi princeps cum subdito litigat de juribus imperii majoribus aut minoribus, utrum scilicet contra dominum in possessione momentanea tuendus sit subditus, an vero majore vi adigi queat, ut cessa principi possessione, ipse actoris partes in se recipiens & jus suum & adquisita possessionis titulum in judicio, quod petitorium vocant, condoceat? Equidem constans est causas forenses perorantium opinio, non esse in possessione lite pendente manutenendum, cui jus commune resistit, donec titulum justum demonstret. Carpz. *Decif. 77. Mevius Part. 8. decif. 257. n. 7.* Quod autem Regalia Principis usurpanti jus commune resistat, id & supra passim probatum est, & auctoritate etiam perillustri Lynckeri firmatur. *Part. 1. decif. 71.* Ergo nec manutenibilem esse talem possessionem, invicto nexu consequitur. Quin potius regulariter, i. e. nisi alia quadam circumstantia, exceptionem æquitatis causa suggerens, adsit, in possessione summaria tuendum non esse subditum,

rum, verius esse affirmant Chorpinus, Paponius, Befoldus, à Sande &c. quos ad calcem supra citatæ Disputationis Excell. Du. Thomafius recitat. Atque hoc, uti ad liquidum satis deductum est, ita multo magis tunc obtinet, si in continenti adpareat, vasallum vel subditum saltem per viginti aut triginta annos hæc jura, & quidem sine titulo, imo contra dispositionem ordinationis provincialis usurpasse, hos namque malæ fidei possessores contra Principem manutenendos esse, nec jura nec æquitas svadent.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM.

CAPVT I.

§. I. Definitio obligationis, p. 3. §. II. Explicatio definitionis, p. 4. §. III. Divisio obligationis, & in specie, de obligatione naturali, p. 5. §. IV. De obligatione civili in specie, p. 6. §. V. De obligatione mixta, *ibid.* §. VI. Subdivisiones obligationis mixtæ, p. 7. §. VII. Principis vocabulum, quomodo heic sumatur, p. 8. §. VIII. Ad Status Germaniæ etiam spectat tractatio, p. 8. sq. §. IX. Serenissima Anbaltine Domui titulus principalis eminenter competit, p. 9. §. X. Negligentiæ vocatio, quid notet, p. 10. §. XI. Divisio negligentie, p. 11. §. XII. Definitio Ministri, p. 12. §. XIII. Ministros constituere, quis possit, *ibid.* §. XIV. Explicatio definitionis Ministri, p. 13. §. XV. Ministri sunt in Republica necessarii, *ib.* §. XVI. Officium Ministri, p. 13. sq. §. XVII. Potestas Ministri, p. 14. §. XVIII. Ordines Ministrorum, p. 15. §. XIX. Ministrorum nulla potestas est in fraudem Principis, *ibid.* §. XX. Ministri sacrorum etiam jurium Principi sunt obnoxii, p. 16.

CAPVT II.

§. I. Transitus ad thema, p. 18. §. II. Actio humana, quid sit, *ibid.* §. III. Ejus principia, *ibid.* §. IV. Ejus opposita, p. 19. §. V.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM.

§. V. Omisso & commissio propria imputatur, *ibid.* §. VI. Propria actio est, ad quam patranda, quis concurrat, p. 20. §. VII. Ergo etiam ut propria imputatur, p. 21. §. VIII. Aliena actio aut omisso regulariter non imputatur, p. 21. sq. §. IX. Quo casu imputatio hanc locum habeat, p. 22. §. X. Confirmatur auctoritate Grotii, pag. 23. §. XI. Applicatio ad ibema, p. 24. §. XII. Gesta ministrorum extra officii rationem principem non obligant, *ibid.* §. XIII. Facta intuitu muneris licita obligant principem; illicita non aequae, p. 25. §. XIV. Removetur objectio, p. 27. §. XV. Minister fines mandati transgreddiens principem non obligat, p. 28. §. XVI. De obligatione ex negligentia ministri, p. 29. §. XVII. Indoles negligentiae consistit in omissione, quae alteri duobus casibus nocet, p. 30. §. XVIII. Applicatio ad principem in casu primo, p. 31. §. XIX. Applicatio in casu secundo, p. 32. §. XX. Observatio haec necessaria, *ibid.* §. XXI. Quae uberius declaratur, p. 33. §. XXII. Conclusio exinde fluens, pag. 34. §. XXIII. Principi ignorantia non nocet negligentia ministri, *ib.* §. XXIV. Distincte ergo responderi debet ad palmariam quaestionem, pag. 35. §. XXV. Indistincte affirmantium argumentum 1. *ibid.* §. XXVI. Argumentum 2. p. 36. §. XXVII. Argumentum 3. p. 37. §. XXVIII. Argumentum 4. reperitur *ibid.* §. XXIX. Responso ad argumentum 1. & 2. *ibid.* §. XXX. Responso ad argumentum 3. p. 39. §. XXXI. Responso ad argumentum 4. p. 40. §. XXXII. Veritas assertionis novis rationibus adstruitur, p. 41. §. XXXIII. Jura praescribi possunt ab exteris, p. *ibid.* §. XXXIV. Sive sit praescriptio juris gentium sive civilis; qualibet autem probari debet, p. 42. §. XXXV. Queritur: an subditi contra Principem praescribere possint, p. 43. §. XXXVI. Absolute negantium sententia displicet, p. 44. §. XXXVII. Sententia in praxi recepta verior, *ibid.* §. XXXVIII. Quae ut procedat, immemorabile tempus & principis scientia requiritur, p. 45. §. XXXIX. Amplificatio assertionis I. p. 46. §. XL. Confirmatio dictorum ex Ordinatione provinciali Anhaltina, p. 47. §. XLI. Amplificatio II. p. 48. §. XLII. Amplificatio III. p. 50. §. XLIII. Amplificatio IV. p. 51. §. XLIV. Restitutio in integrum, an gaudeat princeps, p. 52. §. XLV. Tandem Amplificatio V. confertur, p. 53. §. XLVI. Conclusio vero ex superioribus deducta est, p. 54.

F I N I S.

Ki 1564


(X 2580.263)


Retr 17.8,00

KD17
KD18

M







53

751.

62.

DISSERTATIO IVRIS PVBLICE,
DE
NEGLIGENTIA MINISTRI
PRINCIPEM
NON OBLIGANTE,



NOSTRIS:

In wieferne das Versehen eines Ministers seinem Fürsten bey
Reich, Mißständen und Unterthanen zc. nachtheilig seyn könne.



QVAM

PRAESIDE

DN. CHRISTIAN. WILDVOGELIO,

ICTO APVD IENENSES CONSVMMATISSIMO, P. M.

D. VI. MARTII ANNO CIO DCCXI.

HEINR. CHRIST. VIERTHALERVS,

COTHEN. ANHALT.

HABVIT.



CVM INDICE RERVVM PRAECIPVARVM.



IENAE,

EX OFFICINA HELLERIANA, 1754.

